

omnibus et per omnia, et super totum nobis fideliter A
servire videris multas penurias et injurias per diversa loca pro nostra necessitate suscepisti; et in utilitate Dominorum partibus Britanici seu Wasconici hostiliter ordine ad specie mea fuisti: proinde convenit nobis ut aliquod de facultatis **1334** nostræ te emeliorare debererit. quod ita et fecerunt. Ergo transcrivimus tibi etc.

10. Notitia [de Matrimonio servorum] Notitia qualiter ill. et ill. Non habitur incognitum qualiter servus nomen ill. ancilla ad ill. nomen ill. extra voluntatem ad conjugium se conjunxerunt, sed modo nos una pacis concordia convenit, ut de agnatione, qui de ipsis procreati fuerint, ill. ad ancilla sua duas partes recipiat, ego et ill. ad servo suo ill. tertia, et quod ipsi aliquid stante conjugio conveniunt ill. servo suo de ipso peculiare duas partes recipiat: similiter et illa ad ancilla sua illa tertia. Proinde ut in postmodum nulla altercatio inter nos non debeat esse, ut manus nostra exinde per duas epistolas uno tenore conscriptas facere deberimus, quod ita et fecimus, et pro rei totius firmitate modo affirmavimus, ut nec nos ipsi nec ullus de heredibus vel de propinquis nostris, aut militans stranea persona, qui contra istas epistolas venire voluerit, ad dupla pecunia teneatur obnoxius, et illa petitio non obteniat effectum, et has conventias inconcusso et inconvulso teneat firmitate.

DE LEGIBUS FRANCORUM.

(Ex Capit. Baluz.)

Theodoricus rex Francorum, cum esset Catalaunis, elegit viros sapientes, qui in regno suo legibus antiquis cruditi erant. Ipso autem dictante jussit conscribere legem Francorum et Alamannorum et Bajuvariorum, unicuique genti, quæ in ejus potestate erat, secundum consuetudinem suam. Addidit quæ addenda erant, et improvisa et incomposita reseravit; et quæ erant secundum consuetudinem paganorum, mutavit secundum legem Christianorum. Et quidquid Theodoricus rex propter vetustissimam paganorum consuetudinem emendare non potuit, post hæc Childbertus rex inchoavit, sed Clotarius rex perfecit. Hæc omnia Dagobertus rex gloriosissimus per viros illustres Claudum, Chaudum, Indomagnum, et Agilulfum renovavit, et omnia vetera legum in melius transtulit, et unicuique genti scripta tradidit, quæ usque hodie perseverant. Hoc decretum est apud regem et principes ejus et apud cunctum populum Christianum, qui infra regnum Merwngorum consistunt.

EPISTOLA SYNODI ARVERNICÆ AD THEODEBERTUM REGEM.

Ut clerici aliter qui regum aliorum dominio subjacent, possessionibus quas in ejus regno jure obtinent non fraudentur.

Domino illustri atque præcellentissimo domno et filio Theodeberto regi, Honoratus, etc., episcopi. Dum in Arverna urbe ad replicanda canonum instituta, vel studio elucidandæ legis ecclesiasticæ, his **1335** D
qui dubitatione regendæ vitæ propriæ forsitan premebantur, cultores vestri, ecclesiarum vestrarum episcopi pariter sederent, plurimorum ad nos suæ desperationis remedium flagitantium turba confluit, sperantes, ut non minus pro regni vestri felicitate quam pro sua consolatione pietatem vestram nostra humilitas exoraret, et per suggestionem nostram justitiæ et pietatis vestræ auribus intimaretur, ut nullum de rebus vel possessionibus propriis alienum pietas vestra permitteret, et dum unius regis quisque potestati ac dominio subjacet, in alierius sorte positam, cujuscumque, ut asselet, impetitione non amitteret facultatem. Quod nos de vestri culminis justitia et pietate fidentes, non credimus denegandum: ut dum plurimorum necessitatibus justa, ut credimus, et Deo placente suggestionem consulimus,

pro-peritatem regno vestro et representationem celestis Domini per indulgiam pietatis gratiam augeatis. Unde reverentissime, ut dignum est, supplicantes quæsumus, ut hoc nostræ petitioni divino intuitu pietas vestra non denegat, ut tam rectores ecclesiarum quam universi clerici, atque etiam sæculares, sub regni vestri conditione manentes, nec non ad domnorum regum patrum vestrorum dominium pertinentes, de quod in sorte vestra est extraneos, de quod habere proprium semper visi sunt, non permittatis existere, ut securus quicumque proprietatem suam possidens, debita tributa dissolvat domino, in cuius sortem possessio sua pervenit. Quod et thesauris vestris omnino utilius esse censemus, si per pietatem vestram salvata possessio consuetudinariam intulerit functionem; et nos peculiaribus vestra clementia consolatur, si obtentu hujusmodi petitionis nos quoque Celsitudo vestra fecerit gratulari.

EXCERPTA EX EPISTOLA AURELIANI EPISCOPI ARELATENSIS AD THEODEBERTUM REGEM.

(Ex Freh. et Chesn.)

Domino inelyto et ubique gloriosissimo atque in Christo piissimo domno et Filio, Theodeberto regi Aurelianus episcopus. Licet tam sera scriptorum officia justissime trepidatio comitetur, tamen nequam reor sermo evasa offensione judicabitur, si apud aures clementiæ sola tantum devotione animi perpendatur. Hinc præcipue quod ambientibus cunctis Celsitudinem vestram, nec metum trahunt ex privilegio culminis, nec repulsam metuant de præjudicio tarditatis. Vestra enim erectio ita sollemnitas est, ut etiam humilium amore tangatur, ac dignitatum cumulum onerata fastigia vernularum adhuc rudium primitivis cultibus præsumantur. Novis namque nunc studiis in obsequia religiosi principis informamus, et cum testimonio perfectæ dilectionis ad præsentiam sacratæ mentis admittimur. Hæc ergo ex parte amoris nostri fiduciam, princeps optime, metieris, cum ministeriis tuis nec terribi pro tarditate subtrahimur, nec verecundia pauperis ingenii refradamur. **1336** Suscipe igitur benigne devotionis studio tirocinia famulantium et gremia veniæ largioris expande supplicibus. Quia cum omnes generaliter bono cordis inelyti perfruantur, nos tamen etsi exigua portio obsequii vestri, plenitudinem nobis principalis indulgentiæ ad integrum vindicamus. Etenim cum de te loquimur, adest gratia etsi eloquentia deest, et solo ornatu nostro materia sufficit, quanquam doctrina non adsit. Quæ cum ita sint præclaram indolem laudis vestræ votis potius celebrabo quam litteris. Quoniam semper quæ sunt maxima, conscientiam potius requirunt quam linguam, digniusque committuntur pectoris judicio quam sermonis. Ac perinde non mihi in votis hoc commemorandum est, quod tempora celebrant, sed quod æternitas probat, etc.

EPISTOLA THEODEBERTI REGIS AD JUSTINIANUM IMPERATOREM.

(Ex Freh. et Chesn.)

Domino illustri et præcellentissimo domno et patri Justiniano imperatori Theodebertus rex. Theodorus vir expectabilis cum Solonem veniens pariter litteras, quas imperii vestri clementia destinavit, integra animi charitate et devotione suscepimus, quia cum de nobis curam geritis, sic latius per diversas gentes atque provincias Dei amatam amicitiam propagamus. Id vero quod dignamini esse solliciti in quibus provinciis habitemus, aut quæ gentes nostræ sint, Deo adjutore, ditiori subjectæ, Dei nostri misericordia feliciter subactis Thuringis, et eorum provinciis acquisitis, extinctis ipsorum tunc temporis regibus, Norsavorum gentis nobis præcata majestas colla subdidit, Deoque propitio Visi-

• Vide sancti Gregorii Historiam Francorum, lib. III, cap. 25, notamque fol. 261. Ed.

gotiis, qui incolabant Franciæ septentrionalem A plagam, Pannoniam cum Saxonibus Eucis, qui se nobis voluntate propria tradiderunt per Danubium et limitem Pannoniæ, usque in Oceani littoribus, custodiende D.º, Dominatio nostra porrigitur. Et quia scimus augustam Celsitudinem vestram de profectu Catholicorum, sicut etiam litteræ vestræ testantur, plena animi iuventute gaudere, ideo est quod secundum voluntatem vestram, quæ Deus nobis concesserit simplici relatione mandamus: desiderantibus animis exoptantes; ut felicibus profectibus gloria vestra ita valeat, ut antiquam retroactorum principum amicitiam conservetis, et gratia, quam sæpius promittitis, in communi utilitate jungamur.

EPISTOLA THEODEBALDI REGIS AD EUMDEM.

(Ex Freh. et Chesn.)

Domino illustri, inelyto, triumphatori ac semper Augusto Justiniano imperatori Theodebaldus rex. Accedentibus ad nos legatis vestris, Joanne et Missario, non mediocriter lætificati suscepimus, dum eorum relatione felicitatem imperii vestri divinitate fundatam crescere, et permanere **1337** cognovimus inconcussam. Salutantes igitur serenitatem vestram debito, indicamus munera vestra præfatis deportantibus, eo a nobis excepta animo, quo a vobis affectu constat esse transmissa. Ideoque tam pro largitate muneris, quam pro delectatione animorum, quam indicastis vobis præstitam, pro eo quod vos in solium genitoris vestri, ut dignum erat, superna potentia residere præcepit, inextolubilem gratiarum actionem impendimus. Illud namque inter omnia valde animis nostris molestiam generavit, quod tantum ac talem principem, ac diversarum gentium dominorem, post mortem pagina decurrente videmini laerare, qui vivens imperatoribus ac regibus, vel gentibus universis fidem immaculatam, promissisque semel amicitias firmis conditionibus conservavit, et Christianæ religionis inuitu, non, ut scribitis, loca sacrosancta destituit, sed magis paganorum consumpta excidio, suis, Christo auctore, temporibus in meliori culmine revocavit. Nam qualem præfatus princeps, in cuius vos opprobrio tanta dixistis, exactis gentibus fidem servavit, innumerabilem triumphum, Deo volente, victoris declaratur. Amicitias nostras, quas delectabiliter requiritis, stabiliter rogamus habere studeatis, et quo melius fœdere inviolabili permaneant, ad animis vestris, nullis intercedentibus causis obsistant.

EPISTOLA MAPINII EPISCOPI RHEMENSIS AD NICETIUM TREVIRENSEM. ^a

(Ex iisdem.)

Domino sancto et in Christo beatissimo fratri Nicetio papæ Mapinii episcopus. Evangelicæ lectionis doctrina testatur *Regnum in se divisum stare non posse*. Si hoc de mundi amatoribus et in terrena cupiditate manentibus recte et non immerito credatur, indubitanter rectius de sacerdotum personis sentitur, si discordantibus votis ac studiis inter se dividui comprehenduntur. Aut qua fiducia Conditori nostro, qui nos in unitate compagis, quod est corpus suæ Deitatis, vivere præcepit, preces oblaturi sumus, si nos vicissim mutua charitate sponimus? ut quodam loco Deificus sermo docet: *Studere nos convenit, ut frater fratri adjuvans, sicut civitas munia et fortis, inconcusso fundamine stare possit*. Scilicet ut unius fratris cœlestiæ omnes æquanimiter compatiendo participemus, mutuisque nos laboribus sublevemus. Pro qua re, piissime ac multum diligende Domine et frater, indicamus nos litteras filii nostri domini regis Theodebaldi excepisse, ut in Tullensium urbe die Kalendarum Juniarum adesse deberem; et nullam causam evocationis decarantes, reciprocante pagina indicavimus nos illic

^a Vide sancti Gregorii lib. de Vitis Patrum, cap. 47, in fine, notamque e col. 1030. Ed.

accedere non debere, quia causam conditionemque nos constabat ignorare, iteratis scriptis edocuit beatitudinem vestram, dum al quos Francorum pro zelo divini timoris corripit, ac pro incestis conditionibus a comunione ecclesiastica removit, scandala seu anxietates multimodas **1338** sustinere. De qua re non mediocriter ingemiscimus, quod nos relatione vestra scire non feceritis utrum ex canonica lectione damnentur, an pro pastoralis diligentia de mediocribus reatibus corrigantur. Licet nihil novi vos de his rebus invenire posse cognoscimus, quod prisca Patrum solertia non potuit reperire; tamen absurdum esse videtur, ut a nobis recipientur, qui a vobis secundum seriem canonum ecclesiastica severitate abdicantur. Novimus enim, si scienter hoc gerimus, quod criminibus aliorum miscamur; si ignorantur, reatui non subdamur. Quapropter salutantes charitate debita indicamus, simulque suademus, ut nos in omnibus participes tam tribulationum vestrarum incommodis, quam prosperitatum commodis fieri studeatis. Nam nos, mediante capite nostro, quod est Christus, nullis adversitatibus a vestra anxietate divellimur, nullisque asperitatibus a vestra charitate dividimur. De qua re si tam præsumptuosi non existimus, indicare præsumimus. Decuerat ut vestra consolatio pro huiusmodi conditionibus potius quam regis vocationis nos conserere debuisset: quia pari modo, si nobis aliquid simile, quod in posterum arbitramur posse fieri, contigisset, statim ad vestram fraternitatem scripta direxissimus, ut nos congruo tempore vel loco coram positi videremus. Quoniam parere nos regis præceptis in bonis rebus et conveniat et libeat, tamen non vestris minus scriptis studio charitatis, non supplicio [*Foras*, supercilio] dirigantur respectio: quia amaritudo vestra du'cedo nostra esse non poterit, nec abjectio vestra absque nostra dejectione constabit, et veneratio vobis debita impensa a nobis non dignoscitur procul posita. Atque utinam, ut præfati sumus, charitate suadente, ac pagina decurrente, vestra nobis patellerent. Decrevistis animorum molestiam, cognoveramus utrum compatiuntur molestiis vestris, an delectantur? Nam taceute, ut ipsi scitis, divina, sola loquente viro humanitas intelligere potest. Hoc tamen pleniùs noverit vestra perfectio, si ad nos iterata scripta domini regis ante quinque vel sex dies Kalendarum Juniarum pervenisset, in die præfata præsentiam humilitatis nostræ in locum habueratis constitutum.

EXCERPTA EX EPISTOLA NICETII EPISCOPI TREVIRENENSIS AD CHLODOSINDAM. ^b

(Ex iisdem.)

Domine elementissimæ in Christo Bine Chlodosindæ reginæ Nicetius peccator. Cum legatos per Francorum reges germanos tuos ire conspeximus, de prosperitate vestra solliciti sumus. Sed illa inde audimus quod quam semper sonare etiam et sonare confitemur, quam magna, quam alta, quam laudabilis, quam utilis, quam humana, vel munifica; quomodo de pauperibus sollicita, quomodo de regione astuta, quomodo in cuncto populo pia conversatione splendida. Ne hoc concedat, qui tibi **1339** spiritum sapientie et intellectus jura dedit. Gaudemus ex hoc, gaudere nos Christus faciat de Albeino rege quem habes, et de felicitate sua triumphare. Stupentes sumus, cum gentes illum tremunt, cum reges venerationem impendant, cum potestates sine cessatione laudant, cum etiam ipse imperiis e ipsorum præponit, quod animæ remedium non festinus requirit. Scriptum legimus: *Quærite primum regnum Dei, et omnia bona apponentur*. Qui sic, quemadmodum ille, fulget fama, miror quod de regno Dei et animæ suæ salute nihil investigare studet; sed illos recipit, illis acquiescit, qui potius animam in gehennam perdunt,

^b Vide sancti Gregorii lib. iv Hist. Franc., c. 3. Ed.

^c Galand., ipse imperator suis. Ed.